

quantur semper, aut audiant mala. Post quae inferitur, ideo Ecclesiam huc passuram fore, vel esse perperam, quod in superbiam se elevaverit. » Et mox : « Ubi enim prius habitabat Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, et angeli ejus ministerii presidebant, tunc habitabunt bestiae, de quibus Propheta *Psalms*. lxxii, complorat dicens : Ne tradas bestiis animam confitentem

tibi. » Et inferius : « Dicamus per animam de qua Christus recessit, et qua prius templum Dei fuerat, et esse desinit, transire serpentem, et sibilare in ea, et venena suae malitiae evomere, et non solum hoc facere, sed opera quoque sua, quae *reprobatae* manus vocantur, movere, » juxta illud *Proverb.* xviii, 21 : « Mors et vita in manibus linguae. »

## CAPUT TERTIUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Lyramus et Arias censent toto hoc cap. ad litteram agi de Christo et Christianis, puta accusari scelera Christianorum, quos Christus judicabit in die iudicii, cum impios damnabit, pios salvabit. Ex adverso alii totum hoc caput explicanti de Judaeorum criminibus, ob quae capti sunt captivitate Babylonica, de qua illorum ex ea liberatione, reditu et felicitate. Verum media incedendum est via : nimirum initio capitis agit de Judaeis, sed vers. 8, transit ad Christianos, quos Judaeis impiis Deus in Ecclesia et benedictione Abrahae surrogabit, sibi que adhaerescet. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Haymo, Vatablus et Dionysius.*

*Dico ergo, initio capitis accusat Hierosolymae scelera, ac praesertim rapinas principum, iudicium iniquitatum, prophetarum vesanae oracula et mendacia promissa, sacerdotum impietatem : quodque ipsa cum vidisset gentes vicinas impias a Deo puniri et vastari, non tamen earum exemplo resipuit. Quapropter vers. 8, illi et Gentibus vindictam minatur, sed divinam, nimirum quod Deus per Christum destruet gentilitium aequae ac judaismum, quodque gentes omnes, etiam barbaras et remotissimas, subjugabit Christo, easque ab idolis in Deum convertet, ut serviant ei humero uno, aequae ac Judaeis, qui illum recipient : quod maxime fiet in fine mundi, quando credentes ipsi salvabuntur, increduli vero ab ipso reprobabuntur, et igni aeterno addicentur (1).*

1. Vae provocatrix, et redempta civitas, columba! 2. Non audivit vocem, et non suscepit disciplinam : in Domino non est confisa, ad Deum suum non appropinquavit. 3. Principes ejus in medio ejus quasi leones rugientes : iudices ejus lupi vespere, non relinquebant in mane. 4. Prophetae ejus vesani, viri infideles : sacerdotes ejus polluerunt sanctum, iniuste egerunt contra legem. 5. Dominus justus in medio ejus non faciet iniquitatem : mane, mane iudicium suum dabit in lucem, et non abscondetur : nescivit autem iniquis confusionem. 6. Duperdidis gentes, et dissipati sunt anguli earum : desertas feci vias eorum, dum non est qui transeat : desolatae sunt civitates eorum, non remanente viro, neque ullo habitatore. 7. Dixi : Attamen timebis me, suscipies disciplinam : et non peribit habitaculum ejus, propter omnia in quibus visitavi eam : verumtamen diluculo surgentes corruerunt omnes cogitationes suas. 8. Quapropter expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meae in futurum, quia iudicium meum ut congregem gentes, et colligam regna : et effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei : in igne enim zeli mei devorabitur omnis terra. 9. Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini,

(1) Succedit actio iudicialis contra Hierosolymitanorum contumaciam, quae nullis Dei adhortationibus nec minis a suis sceleribus destiterit.

PRIMO, accusat crimina grossantia, nominatim, primo, institutionem neglectam, et aversionem a Deo in populo, 1, 12; secundo, violentiam in principibus, et rapinam in iudicibus, 3; tertio, infidelitatem in prophetis, et irreligionis in sacerdotibus, 4.

SECUNDO, exaggerat contumaciam Iudaeorum non emendatam, primo, per manifestam Dei improbationem,

5; secundo, per luculentum vindictae de gentibus sumptae exemplum, 6; tertio, per longanimitatem Dei admonitionem et expectationem, 7.

QUARTO, promulgat sententiam decretariam poenae inflictae his verbis : quare cum moniti mores non emendaveritis, ego vos una cum reliquis populis afficiam poenis, 8.

Pars paraclitica : PRIMO, promittit Deus per Prophetam, primo, eandem fidei professionem, et obsequii erga Deum conjunctionem omnium futuram, 9; secundo, Ec-

et serviant ei humero uno. 10. Ultra flumina Aethiopiae, inde supplices mei, filii dispersorum meorum deferent munus mihi. 11. In die illa non confunderis super cunctis adinventionibus tuis, quibus pravavica es in me : quia tunc auferam de medio tui magniloquos superbiae tuae, et non adjicies exaltari amplius in monte sancto meo. 12. Et derelinquam in medio tui populum pauperem et egenum : et sperabunt in nomine Domini. 13. Reliquiae Israel non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, et non inveniatur in ore eorum lingua dolosa : quoniam ipsi pascentur, et acubabant, et non erit qui exterreat. 14. Lauda, filia Sion : iubilata, Israel : laetare, et exulta in omni corde, filia Jerusalem. 15. Abstulit Dominus iudicium tuum, avertit inimicos tuos : rex Israel Dominus in medio tui, non timebis malum ultra. 16. In die illa dicitur Jerusalem : Noli timere : Sion, non dissolvantur manus tuae. 17. Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit : gaudebit super te in laetitia, silebit in dilectione sua, exultabit super te in laude. 18. Nugas, qui a lege recesserant, congregabo, quia ex te erant : ut non ultra habeas super eis opprobrium. 19. Ecce ego interficiam omnes, qui afflixerunt te in tempore illo : et salvabo claudicantem : et eam, quae ejecta fuerat, congregabo : et ponam eos in laudem et in nomen, in omni terra confusionis eorum. 20. In tempore illo, quo adducam vos, et in tempore, quo congregabo vos : dabo enim vos in nomen, et in laudem omnibus populis terrae, cum convertero captivitatem vestram coram oculis vestris, dicit Dominus.

Vers. 1.

1. VAE PROVOCATRIX! — Hebraice מוֹרָא מוֹרָא, id est amaricatrix, quae scilicet Deum maritum tuum adulterando amariacas, id est irritas et provocas ad bilem : haec enim amara est et fellia. Unde Chaldaeus verit : Quae multiplicat iram provocationem; Tigurina : Vae rebellanti! Radix enim מוֹרָא mara significat amaricare, amarum facere, offendere, rebellare. Unde Noemi : « Ne, inquit, vocetis me Noemi (id est pulchram), sed vocate me Mara (id est amaram), quia amaritudine valde replevit me Omnipotens, » Ruth i, 20. Pagninus et recentiores non verbotenus, sed rem et sensum reddunt, dum vertunt : Vae fœdatis, vae pollutae! Nam ideo erat amaricatrix Dei, quia fœdata et polluta sceleribus.

Septuaginta vertunt : Vae illustris! alii : Vae monstrosa! Nam morea deducunt a radice מוֹרָא, id est vidit, q. d. Vae Hierosolymae, quae insignis et monstrosa est sceleribus, puta adulteriis, id est idololatriis, ideoque Deo sponso suo infida et rebellis, eum ad amaritudinem et iracundiam provocat! Alludit vox morea ad mon-

estras ex gentilibus et Judaeorum reliquis congregandam, 10.

SECUNDO, exhibet beneficentia Ecclesiae prestanda, primo, per peccatorum remissionem, et vitiorum, maxime superbiae et vanae iactantiae extirpationem, 11; secundo, per securitatem et impecantiam humilibus concedendam, 12, 13.

TERCIO, excitat fideles ad laetitiam et animi tranquillitatem, 14-16 : cujus mutationis cause assignantur, primo, sublatæ poenae, fugati hostes, et Dei protectio, 15; secundo, assistentia et complacentia Dei de sua Ecclesia, 17; tertio, exterminium hominum magnum et apostatarum, 18; quarto, cædes persecutorum, et reparatio lapsorum, 19; quinto, celebritas et gloria in totam terrarum orbem diffundenda, 20.

tem Moria, id est visionis, vel illustrem, qui erat Hierosolymis, de quo dixi *Genes.* xxi, 14, q. d. O Jerusalem tempore Abrahae et Isaac, mihi fidelium et obedientium usque ad mortem, fidei mons Moria, id est visionis caelestis : at nunc infidelis, per inobedientiam et apostasiam facta est morea, id est amara et amaricatrix.

ET REDEMPTA. — Ita vertunt quoque Chaldaeus et Septuaginta, גוֹאֵל enim significat redimere. Recentiores Rabbinii, et eos secuti Pagninus et Tigurina vertunt, inquinata, vel contaminata : utrumque enim significat gaal : alludit enim ad גוֹאֵל galal, id est volvere, revolvere : inde enim gaal significat rem alio devolutam ad se revolvere, id est redimere : rursum, rem in sanguine menstruo, stercore, aliave re immunda volutare, volvere et revolvere, hoc est inquinare et contaminare, ut adultera Jerusalem se in sordibus idololatriæ cum variis diis Gentium volutabat et inquinabat. Nostra versio uti magis propria, ita efflictor et nervosior est. Taxat enim Jerusalem, eamque arguit ingratitude, quod cum a Deo redempta esset ex Aegypto, et liberata a duro jugo et servitute Pharaonis tempore Moysi; aequae ac Philistinorum, Ammonitarum, Moabitum, aliarumque gentium tempore Iudicum, Davidis et Salomonis, Deum tamen sua idololatria et peccatis saepe gravissime ad indignationem concitavit, et in dies concitat.

COLUMBA. — Ita Hebraeus יוֹנָה, vertunt quoque Septuaginta et S. Hieronymus in *Comment.* At Chaldaeus, Rabbinii, et eos secuti Pagninus, Tigurina et Vatablus vertunt, molestatrix, quae pauperes vexat, spoliat, opprimit, a radice יוֹנָה tana, id est laborare fecit, afflixit, oppressit. Apertus Noster verit, columba : huic enim Israel

pariter comparavit Osee cap. vii, 11, dicens : « Factus est Ephraim quasi columba seducta. » Ita eidem Jerusalem hic comparat Sophonias, q. d. Jerusalem stolidè relinquens Deum verum, et sequens deos inanes Gentium, facta est quasi columba, ut vertit Arabicus Alexandrinus, excors, sine prudentia, sine intellectu, quæ sinit se decipi, ultroque ruit in laqueum et necem. Vide dicta Osee vii. Aliter S. Hieronymus, Remigius, Albertus et Lyranus, q. d. Jerusalem, quæ olim, dum me coleret, erat quasi columba bella, simplex, innocens et candida, nunc desiit esse columba, et facta est quasi corvus teter, malignus, furax et ater. Tertio, Syrus et Arabius Antiochenus vertunt : *Heu civitas nota et redempta, civitas Jona*, hoc est Ninive, quæ usque hodie ab Orientalibus vocatur civitas Jona, tum quia in ea propheta vit Jonas; tum quia Jona hebraice significat columbam, quam colebant Ninivæ et Assyrii, eo quod dicerent Semiramidem suam reginam post mortem conversam esse in columbam, uti alibi dixi. Censent ergo ipsi hanc prophetiam dirigi ad Niniven.

Vers. 2.

2. **NON AUVIT VOCEM** — Dei per me aliosque Prophetas eam invitans ad penitentiam et reconciliationem: sicut columba ab auepe inescata et seducta non audit vocem et sibilum sui heri, eam revocans ad colubarium. Ita Chaldeus, Hugo et Valahus.

**IN DOMINO NON EST CONFISA.** — Hebraeus: *Non speravit in Domino, q. d. Jerusalem spes suas non repositit in Deo, sed in suis opibus, viribus, principibus, populis, sociis, quasi iis esset invicta, et salis munita contra Chaldeos aliosque hostes. Ideo Deus permisit eam ab illis capi et vastari, ut ostenderet inanes fuisse ejus spes, et ut puniret ejus diffidentiam in Deum, Delique neglectum.*

Moraliter, de diffidentia Dei

Moraliter, discite hic esse gravem Dei injuriam, de valdeque eum pungere, si illi non fidamus, spemque nostram ab eo avertamus, et defigamus in creaturis. Hec enim diffidentia oritur ex defectu fidei, quod scilicet fide viva non credamus Deum esse omnipotentem, summe providum et beneficum, quodque ipse possit et velit nos juvare, si ejus opem imploremus, quodque ipsi præponamus homines, vel alias creaturas, quasi illæ magis vel possint, vel velint nobis optulari: quæ sane persuasio infidelis est, et contumeliosa Deo. Quocirca Deus eam punire solet, ac facere ut creature in quas speravimus, nos deserant, fallant, imo oppugnent et evertant. Ex adverso prosperat eos, qui spes suas in ipso defigunt; quia « nullus speravit in Domino, et confusus est, » *Eccli. ii, 14.* Quocirca Jeremias cap. xvii, 7: « Male dictus, ait, homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus. Erit enim quasi myrica in deserto, et non videbit eum venerit arbor: sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis et in-

habitabili. Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus, » etc. Vide ibi dicta. Ita Psaltes: « In te, inquit, Domine, speravi, non confundar in æternum. » Ita S. Barbara, virgo fragilis et tenera, cum pectinibus ferreis horrendæ a carnifice laceraretur, et faciliis ardentibus ustularetur, corde et oculis in celum defixis, Christum sponsum suum invocans, aiebat: « O bone Jesu, tu vides secretum cordis mei, quod in te solo spem meam defixi: non ergo me deseras; quia sine te sum debilis et infirma, tecum autem sum fortis et robusta. Omnia enim possum in te, qui me confortas. » Eadem fuit spes, vox et oratio in tormentis martyrum omnium, quæ eos fecit insuperabiles, ac ignibus, leonibus, ungulis et catastis fortiores et celsiores.

**AD DEUM SUM NON APPROPINQUAVIT,** — ut in eum speraret, eum invocaret, illi obediret, illum amaret, qui est summum bonum suum et nostrum. Ita Plato, dialogo qui inscribitur *Philebus*, non aliud docet, quam felicitatem in eo versari, ut ad Deum propius accedamus, ab eoque verum bonum hauriamus, itaque fiamus divini et Deo simillimi: accedere autem non ad Deum, per virtutem. Nam Deus, inquit ipse, est summum bonum, ejus hæ sunt conditiones, ut sit *ἀταραξής, ἰσχυρὸς, κἀδύ, ἀπὸ περισσοῦ, τῶς τῶν ἑταῶν, ἀκρίβη*, id est *sibi sufficiens, cæterisque omnia suppedians, perfectum, pulchrum, consentaneo ordine constitutum, verum omnium finis, ac proxime ad omnibus eligendum et appetendum.* Qui ergo a Deo recedit, recedit a bono, accedit ad malum, puta ad peccatum, mortem, diabolium et infernum.

3. **PRINCIPES.** — Quod vers. 4 dixit de toto, vers. 4.

puta Jerusalem totam esse corruptam et scelera-ram, hic per partes explicat, incipitque ab ejus capite, puta a primoribus, tum secularibus, tum ecclesiasticis; ut ostendat quod de suo tempore dixit Isaias cap. 1, 6: « A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas, » citatum verum esse. *Primo* ergo taxat hic principum crudelitatem, quod quasi leones populum explarent et devorarent. Ita S. Hieronymus. Allegorice, taxat eorum sequaces et posteros, puta tyrannidem et sævitiam principum et pontificum tempore Christi. Leo enim ferocissimus fuit Herodes Ascalonita, qui immani feritate parvulos omnes a bimatu et infra in Bethlehem occidit propter Christum, quique, ut alia taceam, moriens jussit primores omnes Judæorum occidi, ut Judei in sua morte gaudere non possent, sed, velient nollent, plangerent ob suorum stragem, ut refert Josephus lib. XVII *Antiquit.* cap. vii. Leones fuerunt Annas, Caiphas et cæteri, qui Christum ad crucem, Apostolos ad verbera et ad mortem adegerrunt. Rugierunt enim cum clamaverunt: « Crucifige, crucifige. » Ita Lyranus.

**IN MEDIO EJUS,** — q. d. Sicut leo in medio animalium grassatur, rapitque et discerpit nunc hoc, nunc illud, prout ei libuerit; ita principes He-

rosolymæ nunc hos, nunc illos cives et pauperes deprædantur.

**JUDICES EJUS LUPI VESPERE, NON RELINQUEBANT IN MANE.** — A principibus descendit ad judices, qui principum in injustitia et rapacitate erant asselæ, q. d. Sicut lupi lucifugi vespere grassantur, tumque ex diurna inedia, fame rabidi prædantur, prædamque totam devorant, ita ut ne ossa quidem (hoc enim significat hebræum *גורמ* *goremu*) relinquunt, quæ mane comedant; sed in ipsa nocte qua prædam egerant, eam totam devorant; ita et judices iniqui suis injustis judiciis diripiunt bona pauperum tanta aviditate, ut nihil ex eis reliquum facerent. Ita S. Hieronymus per lupos vespertinos accipit malos prælatos et judices, « capientes, inquit, munera, et vendentes justitiam, et possessiunculæ Ecclesiæ, et ea quæ in Dei donaria conferuntur, vertentes in lucrum suum, ut non habeant pauperes quæ mane comedant; qui quasi in nocte et nullo vidente omnia populantur, et cum luporum more cuncta diripiunt, ne parvos quidem cibos indigentibus derelinquant. » Quinam sint lupi vespertini dixi *Habacuc* 1, 8.

Vers. 4.

**4. PROPHETE EJUS VESANI.** — A magistratu sæculi transit ad ecclesiasticum, puta ad prophetas et sacerdotes, eorumque in suis munis infidelitatem et impietatem rodarguit; prophetas, quod sint vesani, id est spiritu non Dei, sed diaboli, agantur, imo agitantur. Unde Aquila vertit *ἄνοητοι*, id est *entusiasmo correpti*, et furore fanatico perciti; Septuaginta *παραλογιστὰ*, id est *spiritum ferentes*, active; vel potius passive *παρωρατὰ* accentu in antepenultima, id est spiritu portati et acti. Hebraice est *פוחזים pochazim*, quod Pagninus vertit, *contemptibiles*; Tigurina, *leves*; Valahus, *homines nihili*. Nimirum Prophete hi, cum essent vilissimi et ignorantissimi, fingebant se frugere et agi spiritu prophætico, aut revera ex pacto cum dæmone, ab eo correpti quasi fauente loquebantur, uti de Sibylla narrat Virgilius lib. VI *Æneid.*:

Non vultus, non color unus,  
Non complexu mansere comæ; sed pectus anhelum,  
Et rabie fera corda tument, majorque videtur,  
Nec mortale sonans, afflata est numine quando  
Jam propiore Dei.

Et inferius:

Bacchar vale, magnum si pectore possit  
Exussisse Deum, tanto magis ille fatigat  
Os rabulum, fera corda domans, fugitque prendens.

Proprie pochazim significat temerarios et præcipites, qui audacter et temere pro effectu quidvis effluunt, asseverant, divinant et jurant; sicut enim *פוחז pochaz* significat præcipitantiam ex metu aut reverentia; ita ei affine *פוחז pochaz* notat præcipitantiam ex temeritate et audacia. Unde

Noster apposite vertit, *vesani*; Syrus vertit: *Propheta ejus lascivi, impudici*; Arabicus: *Ninive propheta ejus in spiritu inmundato, gens stulta.* Hinc iidem sunt viri *infideles*; Hebraeus, *vir prævaricationum*, id est prævaricatorum, inquit Valahus; Sepinaginta, *virii contemptores*; Chaldeus, *virii mendaces*; quia mentiuntur se a Deo miti, et ejus nomine dicunt: Pax, pax, promittuntque omnia prospera, cum Deus per me aliosque Prophetas commineat excidium.

**SACERDOTES.** — A Prophetis transit ad sacerdotes, in quibus duo culpæ. Præsumptio, quod profanant et polluant « sanctum, » puta sanctuarium, sive templum, nimirum sacra et sacrificia indigne tractando, eaque non ad Dei, sed ad suum usum et luxum convertendo, exercendo usuras, simonias, rapinas, sacrilegia, profana ibi tractando, scandalose vivendo. Posterior: « Injuste, inquit, egerunt contra legem; » hebraice *חמסו chamsu*, id est oppreserunt legem, vim attulerunt legi; quia eam audacter transgreduntur, violant, contaminant, populoque duces et auctores, imo doctores sunt, ut idem faciat; adeo ut legem per suas falsas, et ad luernum confectas expositiones et traditiones pervertant, uti eis improperat Christus *Matth.* v, 21, et cap. XXXIII, 16.

Vers. 5.

**5. DOMINUS JUSTUS IN MEDIO EJUS NON FACIET INEQUITATEM,** — q. d. Deus, qui æquissimus est iudex, æque ac omniens, hinc non inique, sed æquissime, licet acerrime, puniet impiam Jerusalem (1). Quod sit omniens, recte probat: quia, inquit, est in medio ejus, q. d. Deus in templo suo residens, circumquaque prospicit Jerusalem, videlicet omnia scelera quæ in ea ubilibet perpetrantur: ergo non deest ipsi scientia, nec cognitio criminum, uti nec potestas et æquitas ad ea puniendum et vindicandum. Nota liptonem, sive miosim: « Non faciet iniquitatem, » id est faciet summam æquitatem, quando acriter castigabit tot tantaque scelera, quæ sunt in sua urbe coram se seque spectante. Ita S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Arias et Clarus. Accedit et Chaldeus qui vertit: *Dominus purus dixit se collocaturum majestatem suam in medio ejus: quare coram ipso mendacium non fit, id est fieri non debet, q. d. Nemo deberet esse tam effrons et impudens, ut audeat peccare Hierosolyma, in conspectu et in*

(1) Hæc verba, inquit Maurer, nequaquam eum sensum habent, quem subijci Rosenmuller hinc: « Non committet, ut hec scelera vestra abeat impunita, nam hoc iniquum esset, et a natura ipsius alienum: » sed, ut recte viderunt Hesselbergus et Hitrigius, hoc sibi voluit: Imago ad imitandum iis proposita est Jova juste agens in medio isorurn, ut sancti sint, quemadmodum ipse Jova est sanctus; quævis mane, quotidie jus suum, id est jus quo ipse utitur, id est justam suam agendi rationem, profert in lucem, peccatis afflictiens improbos non deest, nunquam omittit sic agere; nec scit, sed hæsit improbus *peccatorem*, justam quam sequitur agendi rationem Jova iis nunquam non prosequit ad imitandum, sed frustra; non pudet eos sue rationis. (Maurer.)

oculis Dei viventis. Mendacium enim in Scriptura saepe significat quodlibet peccatum; peccatum enim est mendacium praeiurium, quod fit contra legem, et contra rectum rationis iudicium. Notent hoc sibi applicent clerici et religiosi, dicantque: Quomodo audeo peccare in Religione, in templo, ubi Deus residet, ubi omnia circumspicit quasi leo terribilibus oculis, uti loci sancti violatores, suique contemptores disceperat et laceret?

Aliter Vatablus: « In medio ejus, » inquit, *q. d.* Deus Jerusalem dignatur sua presentia, sua cura et familiaritate, versatur in medio ejus quasi socius, amicus, imo protector, curator et pater; quod ergo eam punit, non facit ex odio, sed ex amore, tum ejus, tum iustitiae: quocirca nemo censerebit eum facere iniquitatem, dum eam pro meritis acriter castigat. Unde sequitur:

MANE, MANE (hoc est estrictissime, inquit Theodoros. Rursus, non solum clam, sed palam in matutina et manifesta luce, inquit S. Hieronymus, Deus) JUDICIUM SUUM (id est justum suum supplicium, quo castigabit Jerusalem, proferet et) DABIT IN LUCEM. — *Secundo*, « mane, mane, » id est quolibet mane, *q. d.* Deus quotidie, et quasi quolibet mane edit aliquod exemplum sui iudicii, quo nunc hunc, nunc illum sceleratum; nunc hanc, nunc illam gentem male mulctat et perdit, illudque non absconditur, » hebraice, *non deest*, quin semper aliquod publicae edatur ad terrorem impiorum; et tamen « iniquus nescit confusionem, » id est nescit erubescere, sed audacter et impudenter pergit scelera sceleribus cumulare. Ita Clarius, Arias et Vatablus. Hic sensus satis apte connectit totum sententiam; futura enim apud Hebraeos saepe sumuntur pro presenti, quando significatur rei continuatio, mos et consuetudo; uti hic « mane, mane iudicium suum dabit, » id est dare et edere solet. Verum quia agit hic proprie de Jerusalem, cui minatur futurum, sed instans excidium; hinc prior sensus aptior et germanior videtur, juxta quem sequentia ita explicata.

NE SCIVIT AUTEM INIQUUS CONFUSIONEM, — *q. d.* Hierosolymite sunt tam iniqui et impii, ut non pudeat eos, nec peniteat scelerum, etiamsi ob ea audiant a Prophetis instare sibi iudicium, id est vindictam Dei, ac videant propter eadem gentes sibi similes a me puniri et disperdi, uti sequitur. Aliter Septuaginta Romana, qui haec ad Deum iudicium suum mane proferentem referentes, sic vertunt: *Nescit iniquitatem in exactione, nec in contentione injustitiam.*

Vers. 6. 6. DISPERDIDI GENTES. — Per Gentes, primo, accipi possunt Samaritae, qui vicini erant Judaeis, et jam ob idololatriam excisi erant a Salmanasare et abducti in Assyriam, *q. d.* Videte, o Hierosolymite, quid vicinis et fratribus vestris, puta decem tribubus, contigerit: idem enim vobis continget nisi vitam corrigatis. Nam, « tunc tua res

agitur, paries cum proximus ardet. » Porro vocat eos Gentes, non Israelitas, tum quia jam ab avita fide, religione, societate et regno Israelis et Davidis per schisma desciverant, fecerantque novam rempublicam, et Ecclesiam idololatriam, uti faciunt Gentiles; tum quia jam post excidium commixti erant gentibus, puta Assyriis in Assyria, et Cuthaeis in Samaria. Salmanasare enim sicut Samaritanos in Assyriam, ita Assyrios, puta Cuthaeos, in Samaritaniam transtulit, eoque modo utramque gentem permiscuit, ut patet IV Reg. xviii.

*Secundo*, S. Hieronymus per Gentes accipit Judaeos, quos vastavit et disperdidit Sennacherib, adeo ut sola Jerusalem ab eo intacta remanserit, angelo eam, ob pietatem Ezechiae et preces Isaiae, futante, cassis 183 millibus Assyriorum, Isaia xxxvii, 36. Hi pariter vocantur Gentes, quia vivebant gentiliter et impie, quasi gentiles essent, non Judaei. In Scriptura enim Judaei saepe vocantur nominibus gentium, quarum cultum, mores et vitam imitabantur. Hinc jam vocantur Amorrhaei, jam Cethaei, Ezech. xvi, 43; jam Sodomitae et Gomorrhaei, Isaia i, 10.

*Tertio*, proprie per Gentes possunt accipi Syri, Armeni, Parthi, alique qui inter Babylonem et Jerusalem interjacent, vel adjacent, quos, utpote viciniore, prius subjugavit Nabuchodonosor, antequam invaderet Judaeos, utpote remotiores. Hosce enim omnes Judaeis in exemplum proponi voluit Deus, ut eorum strage respicerent, et ab idolis sceleribusque ad Deum redirent. Sed frustra; nam, ut praecessit: « Nescivi iniquus, » in iniquitate sua defixus et obduratus, « confusionem. »

Aliter a Castro: nam per Gentes accipit Philistaeos, Ammon, Moab, Ethiopeos et Assyrios, de quibus cap. praeced., vers. 4, 8, 11; licet enim hi post excidium Jerusalem excisi sint a Chaldaeis, tamen Deus eorum, quasi hostium, excidium jam diu ante praesixerat et promiserat Judaeis, utpote qui saepe eorum hostilitatem et direptionem sustinuerant. Sed tunc « disperdidit, » accipi debet non proprie, sed pro *disperdere decrevit*, disperditurum me praedixi et promisi, *q. d.* Promisi tibi, o Jerusalem, me gentes tibi hostiles perditurum, et destructurum earum imperia, ut qui me per plagas non senseras, saltem per beneficia cognosceres: sed tu haec promissa, meque pariter ea promittentem, non curasti, imo sprevisi.

ET DISSIPATI SUNT ANGULI EARUM. — *Angulus* vocat arces et munitiones, quae in limitibus regionum eriguntur quasi antemurale, ad tutelam regionis. Chaldaeus verit, *palatia*. Tropologice S. Hieronymus: « Puto, inquit, quod et superbis prosit detrahi eos de arrogantia sua, et dissipari angiportus et angulos eorum, ut postea recto itinere gradiantur. » Et mox: « Dissipantur ergo finera superborum, et anguli eorum, ne ambulent in superbia et in pravitate, et urbes eorum quae male edificate fuerant in arrogantia et su-

perbia, destruuntur ne subsistant, et habeant habitatores pessimos. »

Vers. 7. 7. DIXI (*q. d.* Monui) Judaeos per Jeremiam aliosque Prophetas, ut desisterent ab idolis et sceleribus Gentium, ne similes illis penas incurrerent, ac aeque ut ille disperderentur, atque ut timerent et colerent me, ne periret) HABITACULUM EJUS, — id est tuum, puta tua civitas, tuae domus, templum et muri tui, o Jerusalem. Hebraei enim crebro utuntur enallage, ut personam secundam in tertiam, et vice versa, commutent, praesertim ad pathos, uti hic Deus a Judaeis, quasi indignans, avertit faciem et sermonem, ac de iis, quibus ceperat loqui cominus in secunda persona, jam ob idololatriam evertendis, ideoque quasi alienis, loquitur in tertia persona. Monui, inquam, eos, ut non perirent; quia contentum me fore dixi poenis, quibus eos « visitavi, » id est punivi per Salmanasare et Sennacherib: at tantum abest ut hisce meis monitis auscultarent, et mores corrigerent, ut diluculo, id est sollicite, sine mora, festinanter magis eos corrumperint, et pejus egerint. Opus enim quod diluculo fit, cordi et cura est, sitque sollicita et festinata, utpote ante diem, et ante omnia diei opera; imo diluculo solent disponi et ordinari, aeque ac inchoari opera totius diei. Quocirca nervose ait: « Diluculo surgentes corrumperunt omnes cogitationes suas; » Tigurina, *omnia studia sua*; Pagninus, *omnia opera sua*: haec enim ex cogitatione, destinatione et dispositione qua fit diluculo, manant. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Albertus, Hugo et Vatablus. Aliter Septuaginta qui haec cum sequentibus jungunt, de quo mox.

Vers. 8. 8. QUAPROPTER EXPECTA ME, DIXIT DOMINUS, IN DIE RESURRECTIONIS MEAE IN FUTURUM. — « Expecta, » scilicet avide, anhela et inha. Hebraicum enim *חכה* *chacha* significat anhelare et inhiare ad personam, vel rem aliquam, ut eam apprehendat: deditur enim a *חך* *cheh*, id est guttur, palatum, quod, dum famet, cibo inhiat, uti pulli aperto ore et gutture inhiant escae quam mater advehit. Pari, imo majori aviditate fideles debent anhelare ad Deum et Christum, eique inhiare: quia ipse solus est cibus, refectio et saties animae. Rursus, pro in futurum hebraice dicitur *לך* *lech*, quod Septuaginta vertunt, in testimonium, a radice *עך* *ed*, id est testari: unde *עך* *ed*, id est testis. Pagninus vero, Vatablus et Clarius secuti R. Davidem, vertunt, ad praedam, vel ad spolia, a radice *עך* *avad*, id est spoliare, praedari, diripere. Unde vertunt: *Expectate me, dicit Dominus, ad diem qua consurgam ad spolia, vel ad rapinam*, ut idem sit cum illo *Psalm. lxxvii, 19*: « Ascendisti in altum, cepisti captivitatem: accepisti dona in hominibus. »

Quocirca primo, Chaldaeus Cyrillus et Sanchez haec exponunt de direptione Babylonis per Cyrum, *q. d.* Bono animo estote, o Judaei abducendi in Babylonem: ibi expectate me. Nam post 70

Dies resurrectionis hic quaerit

annos ultor per vobis consurgam, ac Babylonem per Cyrum evertam et diripiam, vosque inde eripiam, ut deinde unanimes et laeti domum redeuntes, omnes me colatis humero uno, et nulus inter vos sit infidelis, vel impius. Verum esto eo alludat, tum tamen Deus non effudit zelum et spiritum suum in omnes gentes; nec effecit ut omnes colerent eum humero uno: imo paulo post Judaei ab Antiocho afflictii, ac tandem a Tito et Romanis sunt eversi. Quamobrem Judaei haec expectant a suo Messia venturo; sed perperam et incassum.

Ergo communis sententia Graecorum et Latinorum, quin et Hebraeorum, est, haec tam augusta promissa ad tempora Christi pertinere, ab eoque esse completa in primo adventu, et plenius complenda in secundo. Sait ergo hic Propheta de more ad Christum, et tempus legis novae. In Christo enim, qui finis est legis et Prophetarum, Sophonias, Abdias alique Prophetae desinunt, et oraacula sua concludunt. Vocat ergo « diem resurrectionis meae: » primo proprie diem tertium a Christi necesse, quo ipse a mortuis resurrexit. Sensus ergo est, *q. d.* Quia frustra per Prophetas vos, o Judaei, moneo, frustra clamo, ut ad me redeatis, hac de causa ego novum et divinum, non humanum, vindictae genus in vos et in omnes gentes exercebo. Mittam enim Christi, qui Judaeos multos et omnes gentes sibi mihi subieget, cogetque eas abdicare gentilitium, aeque ac vos judaismum, ac suscipere christianismum, ut omnes humero uno sibi et Deo vero serviant; Judaeos vero rebelles ac incredulos, imo christicidas, gravissime puniam et excidam per Titum et Romanos, hisque rejectis et reprobatis surrogabo Gentes, ut dicitur vers. 9, quae succedent in benedictionem promissam Abrahae, eruntque filii et heredes regni Dei, puta Ecclesiae tum militantis, tum triumphantis. Unde Basilius lib. II *De monstr. Evang.* cap. xvii, S. Augustinus lib. XVIII *Civili* cap. xxxiii, S. Hieronymus, Remigius, Hugo, Arias, Ribera et alii docent hic praedicta resurrectionem Christi, probationem Judaeorum, et vocationem Gentium.

*Secundo*, plenius id fiet in secundo Christi adventu ad iudicium, puta in resurrectione universalis, quae vocatur dies resurrectionis Christi, tum quia per Christum, et Christi gratiam ac virtutem omnes homines resurgent: resurrectio enim Ecclesiae, quasi corporis, est resurrectio Christi, quasi capitis; Scriptura enim, ut notat Theonius in *Regulis S. Scripturae*, quod Ecclesiae est tribuit Christo, et vice versa, ob summam Christi cum ea conjunctionem: est enim ipse Ecclesiae caput, sponsus, pater, anima, spiritus et vita; tum quia Christi resurrectio et gloria apparebit toti mundo in die iudicii, quando ostendet potestatem suam judicariam, in resurrectione sibi a Patre datam, per quam judicabit omnes gentes, uti hic subdit Sophonias. Sensus ergo est, *q. d.* Ego saepius ves-

tra, o Iudei, scelera coargui per Prophetas; sed frustra: expectate ergo me vindicem in die iudicii, quo ego resurgens et triumphator decem post me agmina omnia resurgentium, ac iudex consideo in valle Josaphat, in quam colligam et congregabo Iudeos et omnes gentes, ut infideles et incredulos condemnem (hunc ergo vos, o Iudei rebelles, dabitis penas vestre rebellionis, ingratiitudinis et obstinationis), credentes vero et fideles beem et glorificem, ut in oculis dem eis labium electum, quo jugiter me laudent et benedicant. Ita S. Hieronymus, Remigius, Haymo, Lyranus, Clarius et Vatablus.

Porro utroque die resurrectionis Christus venit ad prædam, ut vertunt Pagninus et Rabbinus. Nam in primo adventu prædatus est Gentes, earumque regiones, dum omnes per Apostolos sibi subieci, juxta illud *Isaia viii, 3*: «Voca nomen ejus» (Emmanuelis, id est Christi nascituri), «Accelega spolia detrahere, festina prædari.» Rorsum in die resurrectionis prædatus est limbum et infernum: nam inde secum victor eduxit animas SS. Patrum, ut eas secum cum triumpho deduceret in cœlum. In secundo vero adventu ad iudicium, prædabitur omnes infideles et impios, eosque tradet inferno. Insuper utroque die venit Christus *ad testimonium*, ut vertunt Septuaginta; quia uterque dies testabitur et demonstrabit mundo Christum esse Christum, id est Dei Filium, iudeum, vindicem et dominum omnium. Simili modo et misericordia ultus est Deus incredulitatem Achaz, promittendo non tam ipsi, quam posteris ejus Christi nativatem, gratiam et salutem. «Namquid parum, inquit, vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel,» *Isaia vii, 13 et 14*.

QUA JUDICEM MEAM, — *q. d.* Quia judicavi et decevi congregare gentes et regna, et effundere super ea meam iram et indignationem, ita Arias et Vatablus, nimirum evertendo eorum idola, templa, regna, mores, eaque convertendo in fidem, cultum et regnum Christi, ut illi se subjiciant, ejusque mores christianos et sanctos induant, illumque colant et laudent labio uno et electo. Perperam ergo aliqui sic exponunt, *q. d.* Colligam Iudeos per totum orbem dispersos ad Pascha celebrandum in Jerusalem, ut in ea a Tito et Romanis concludantur, capiuntur et occidantur. Contrarium enim dicit Propheta: «Ut congregem gentes,» non Iudeos, «et colligam regna.» Unde et de iisdem subdit:

ET EFFUNDAM SUPER EOS INDIGNATIONEM MEAM. — Indignatio hæc vindicta est divina, non humana, ut dixi: Deus enim ita se vindicat, ut perdat inimicos, dum eos facit amicos; et occidat infideles, dum eos convertit factique fideles: quia nimirum in mente et corde eorum occidit impietatem, idololatriam, libidinem, superbiam, cete-

raque vitia, eisque indit spiritum et vitam fidei, gratiæ, castitatis, humilitatis cæterarumque virtutum. Unde subdit:

IN IGNE ENIM ZELI MEI DEYORABITUR OMNIS TERRA. — Chaldaeus: *Nam igne zeli mei consumerunt omnes impij terra: etenim ita convertant in omnes gentes locutionem unam electam, ut precentur omnes in nomine Domini.* Hic est zelus Dei, quo magis pugnat in vitia et demones, quam in homines, imo pugnat pro hominibus: sicut medicus pugnat contra morbum, non contra ægrum, sed pro ægro. Vindicta ergo hæc Dei in peccata et demones, est misericordia et gratia in peccatores. Vide *Canon, XLVI*, quem præfixi Prophetis Majoribus. Hic est zelus quem Christus ostendit in primo suo adventu, de quo proprie hic agitur. Illo enim dedit omnibus gentibus labium electum, convertit Æthiopes, omnesque gentes, etc., uti fuse in sequentibus prædicit Sophonia. In secundo autem suo adventu zelum iræ ostendit in infideles et impios, quo eos in die iudicii condemnabit adigetque in tartara, ideoque per ignem conflagrationis mundi, quem emittet, devorabitur et comburetur omnis terra. Ita Lyranus et Vatablus.

9. QUI TUNC REDDAM POPULIS LABIUM ELECTUM (Ara. Vers. 9. *bicus, linguam electam; Symmachus: Tunc convertam in populos labium mundum; Aquila et Theodotus: Tunc vertam ad omnes populos labium electum*) ET INVOCENT OMNES IN NOMINE DOMINI (id est nomen Domini, hebraice *Jehova, q. d.* Ut omnes invocent Deum verum) ET SERVIENT EI HUMERO UNO. — Pro electum, uti vertit Noster, Aquila et Theodotus, hebraice est *בְּרוּרָה* *berura* (pro quo Septuaginta legerunt *בְּרוּרָה* *berora*, id est in generatione ejus), quod secundo, verti potest *puram, castum, mundum, candidum*: ita Symmachus, Arias et Tigurina; Chaldaeus vertit, *clarum*. Sensus est, *q. d.* Deus per Christum tollet diversitatem animorum, religionum, idolorum et laborum, quibus hic adorabat et invocabat Jovem, ille Martem, tertius Saturnum, quartus Melchom, quintus Dianum, etc., facietque ut omnes conspirent in eandem fidem et cultum unius veri Dei, eumque uno labio electo, sancto et divino invocent, dicentes: Deus, qui es unus in essentia, et trinus in personis, nimirum Pater, Filius et Spiritus Sanctus, miserere nobis. Huic enim soli servient latrā, id est eum colent et adorabunt omnes humero uno, hoc est unanimi consensu, conspiratione et consonantia. Est metaphora a bajulis, qui simul uno quasi humero succollant oneri ingenti: aut certe a hobs combinatis in plaustro, qui ejus jugum pari onere, quasi humero uno ferunt, illudque pari conatu et passu protrahunt. Unde Septuaginta, Syrus et Arabicus vertunt, *jugo uno, scilicet Christi, quod suave est, et excutit plurima et durissima juga diaboli.* Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Chaldaeus, Haymo, Hugo, Vatablus et alii. Nove Joannes Alba *Electorum* cap. LXVII: Labium, inquit, hoc est lingua, subinde pro lege

capitur. Labium ergo electum vocat legem perfectam, omnibus numeris absolutam, sanctissimam, puta legem Evangelicam. Hanc enim Deus dedit omnibus populis, cum legem Mosaicam dederit solis Iudeis. «Et servient ei humero uno,» id est una manu, uno consensu, vel uno munere unoque sacrificio: hoc enim vocatur manus, quia manu offertur. Denique manus sæpe ponitur pro opere, *q. d.* Servient ei manibus, id est operationibus et operibus sanctis, qui concorditer se invicem adjuvantes quasi una eademque manu operabuntur. Hæc Alba, symbolice potius, quam literaliter.

Mirum quam potens sit, quantumque ferre possit unum omnium ad idem omus conspirantium humerus. Videre hoc est in religionibus, congregationibus, familiis, in quibus viget spiritus et charitas. Aurea est Micipæ regis in morte filios ad mutuum amorem et opem cohortantis sententia: «Concordantia parvæ res crescut, discordia autem maximæ dilabuntur.» Ita Salustius lib. *De Bello Jugurth.* «Tyrrhenus lapis quamvis grandis innat, committitur subsidit: ita concordia sustinemur, discordia pessum imus,» ait Plinius lib. II, cap. CVI. Sicut singula hastilia facile frangas, conjuncta non possis: ita dissidentes facile superes, concordēs haud facile, ait Plutarchus in *Moral.* Vis enim unila fortior est seipsa divisa: unde multa sustinet et evincit, quæ divisa nequit. Tyresius rogatus a Scipione Africano qua de causa Numantia, prius invicta, a se subacta et eversa fuisset, respondit: «Concordia victoriam, discordia exitum præbuit.» Severus imperator moriturus vocans filios Marcum Antonium et Getam: «Facite, inquit, ut inter vos conveniat, incoepuletate milites, cæteros omnes contemnite.» Ita Xiphilinus in ejus Vita. Agesilaus rogatus cur Sparta membris non cingeretur, ostendit cives armatos et unanimes: «Hi, inquit, sunt civilis mœnia.» Ita Plutarchus in *Apophtheg.* Quid non evincit, quid non superat exercitus duorum et militum in idem conspirantium? Iseus sophista citans illud Homeri: *Scutum hæsit scuto, galea galea, atque viro vir*: «Sic, inquit, mihi state, Lacedæmonii, et muris cineti sumus.» Ita Philostratus in *Sophisticis.*

Alludit ad unitatem sermonis et lingue, quæ fuit in statu innocentie et legis nature. In paradiso enim Adam et Eva eadem fide, labio et lingua, puta hebraea, coluerunt, et posterii eorum coluissent Deum verum. Hoc labium per peccatum et superbiam laborum turris Babel, vitiatum, inquinatum et dissectum est in 70 fere labia et linguas, quas Deus totidem familiis tunc indidit, ut dixi *Genes. xi, 7*. Hic ergo promittit Deus se per Christum primum illud unanimitate, electum et purum labium redditurum, idque præstitit, quando Apostolis in Pentecoste indidit Spiritum Sanctum in specie linguarum ignearum, quibus pure et ardentem Deum verum celebrarent, om-

nesque gentes docerent, et impellerent ad eundem eodem labio et lingua colendum, ut scilicet quasi uno ore, æque ac mente et fide, eum confiterentur, laudarent, adorarent et invocarent. Labium ergo unum et electum est, una Dei confessio, laus, invocatio, prædicatio.

Porro addunt aliqui apud Galatinum lib. XII *De Arcan.* lib. cap. III, per labium unum accipi posse linguam græcam, qua primum Apostoli per Græciam, Asiam et vicinas regiones ceperunt propagare fidem Christi. Græca enim lingua, post imperium Alexandri Magni et Græcorum, magnam Orientis partem occupavit. Alii accipiunt linguam latinam, qua omnes fideles sub Romano Pontifice, Deum et Christum toto orbe colunt et invocant. Hoc non est incongruum, nec absurdum; licet enim proprie per labium unum significetur uniformitas cultus et fidei, scilicet quod Deum unum uniformiter omnes colent, esto eum sua lingua aliter et aliter nuncupent; consequenter tamen innotuit uniformitas lingue, quod scilicet Ecclesia et Evangelica doctrina, Christiane fidei et religio semper floruit in una lingua, nimirum primum in hebraea, deinde in græca, tandem in latina et romana; perinde ac ante Christum floruit in sola hebraea, puta in familia Heber et Abrahæ, qui solus a Deo ex omnibus gentibus fuit electus ad ejus cultum, laudem et obsequium. Unde et lingua ejus vocatur labium electum. Multum enim facit ad consociationem, unionem et unitatem Ecclesie istius lingue, verbi gratia Latina, qua Ecclesia Latina ubique gentium utitur in sacrificio et officio Ecclesiastico, quamque omnes sacerdotes et literati callent. Nam, ut ait S. Augustinus lib. XIX *De Civit.* cap. VII, «linguarum diversitas hominem alienat ab homine, etc., ita ut libentis homo sit cum cane suo, quam cum homine alieno;» et, ut ait Plinius, «ut exterius alieno non sit hominis vice. Hinc illa gentium totique linguarum diversitas, etc., quæ nos distinxit a feris, inter ipsos quoque homines discrimen alterum æque grande quam a belluis fecit,» inquit ipse lib. XI, cap. LI. Quocirca Roma, olim rerum domina, «sategebat ut non solum jugum, verum etiam linguam suam domitis gentibus per pacem societatis imponeret,» ait ibidem Augustinus; ita ut Romani Hispanias et Gallias Latinas prorsus fecerint, veteribus illarum gentium linguas abolitis; et in senatu nullos audierint legatos, nisi latine verba facientes; nimirum conabantur ut esset una lingua, qua se gentes omnes mutuo intelligerent. Sed plane et plene id consequi nequiverunt; altioris enim et divine virtutis hoc est opus. Quocirca Spiritus Sanctus Apostolis dedit donum linguarum, quod omnibus gentibus intelligerentur, et vicissim omnes intelligerent. Deus, inquit S. Augustinus in *Psalm. lrv*, divisit linguas in fabrica turris Babel, «ne se intelligendo perniciosam facerent unitatem. Per su-

Labium electum quod?

Unitas lingue quantum conferat.

perbos homines divise sunt linguae; per humiles Apostolos congregatae sunt linguae. Spiritus superbia dispersit linguas, Spiritus Sanctus congregavit linguas. Quando enim Spiritus Sanctus venit super discipulos, omnium linguis locuti sunt, ab omnibus intellecti sunt, linguae disperse in unum congregatae sunt. Ergo si adhuc servient in unum congregatae sunt, expedit eis divisas habere linguas. Volunt unam linguam, veniant ad Ecclesiam; quia et in diversitate linguarum carnis, una est lingua in fide cordis. » Idem in *Psalm. XIV* explicans illud: *Astistit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate: « Varietate, ait, linguae faciunt varietatem vestis reginae hujus. Quomodo autem omnes varietates vestis in unitate concordant, sic et omnes linguae ad unam fidem. Quilibet sit varietas linguarum, unum aurum predicatur, non diversum aurum, sed varietas de auro: aurum est sapientia. Eandem quippe sapientiam, eandem doctrinam et disciplinam omnes linguae praedicant; varietas in linguis, aurum in sententiis. »*

Anagoge. Anagoge, Beati in caelo serviunt Deo labio uno, quia consono corde et ore canunt jugiter Alleluia, laudes et hymnos Deo, jubilanque dicendo: Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, qui nos vocavit in partem sortis sanctorum, imo beatorum. « Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in saecula saeculorum, amen. » *Apoc. cap. VII, 42*. Et: « Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione: et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes: et regnabimus super terram. » *Apoc. v, 9*. Addit Arias, a Castro et Galatinus loco citato, Beatos in caelo eadem lingua, quae in paradiso fuit primigenia, ideoque sancta cognominatur, praesertim quia ea conscripta est vetus sacra Scriptura, puta Hebraea, Deum laudaturos, de quo vide dicta I *Corinth. XIII, 8*.

Tropologie. Tropologie, labium electum fidelis habet, cum sincere Deo confitetur, et quae Dei sunt sancte loquitur, cum de rebus piis sermones serit, cum iratos mitigat, afflictos consolatur, peccatores convertit, hunc opponit Propheta vers. 13, linguam dolosam.

Ver. 10. 10. ULTRA FLUMINA ETHIOPIAE. — Triplex est hic expositio, quae tamen in unam communem et universalem coalescit et desinit. Aliqui enim per hanc phrasim intelligunt Aegyptum; alii Abyssiniam et Africam, alii Indiam. Primo enim Aegyptus est ultra fluenta Nil, qui oritur in Aethiopia, indeque in Aegyptum defluit, *q. d.* Aegyptii convertentur ad Christum, illique deferent munera. Addit a Castro hebraeum *צפ* *chus*, id est Aethiopia, in Scriptura non significare Aethiopiam sub Aegypto, quae nunc Abyssinia dicitur, ubi regnat Preto-Joannes; sed Arabiam, in qua inter alios degebant Madianites, qui in Scriptura vocantur Aethiopes. Unde de Pharaone merso in mari Ru-

bro dicitur *Psalm. LXXII, 14*: « Dedisti cum escaam populis Aethiopum, » puta Arabibus aecolis maris Rubri. Chus enim filius Cham, qui nomen dedit Aethiopiae, nunquam ingressus est Aegyptum, vel Abyssiniam, sed cum suis filiis, Sabae, Hevila, Sabatha, Regma, Sabatatha et Dadan, sedes fixit inter sinum Persicum et sinum Arabicum, sive mare Rubrum. Hic ergo terre tractus vocatur Chus, id est Aethiopia, puta Arabia, in qua est Gihon, fluvius ex paradiso decurrens, Trajanus fluvius, lacus Sirbonides, sinus Arabicus, fossa quoque manu facta, quae Dioryges vocantur, quas omnes fluviorum nomine comprehendit Scriptura. Porro ultra haec flumina est Aegyptus. De Aegypto ergo loqui videtur hic Sophonia, aequae ac Isaias cap. XVIII, 4. Haec a Castro. Verum ejus ratio non concludit. Nam omnis Aethiopia hebraice vocatur Chus, esto Chus filius Cham cum suis filiis proximis omnem non incoherit; sicut eadem vocatur Aethiopia ab Aethiopo Vulcani filio, si credimus Plinio lib. VI, cap. XXX, esto Aethiops non totam, sed partem tantum occupaverit. Sicut ergo Abyssini vocantur Aethiopes graece et latine, sic idem hebraice vocantur Chusim. Nam ex Abyssinia videtur venisse Taraxa rex Chusim, id est Aethiopum, II *Paral. XIV, 9*. Et Nabuchodonosor post vastatam Aegyptum vastavit Aethiopiam et viciniam, puta Abyssiniam, *Isa. CXX*. Et ex Abyssinia venisse reginam Saba ad Salomonem, censent S. Hieronymus, Augustinus, Origenes, Nazianzenus, Nyssenus, Anselmus, Toletus, Barradius, Ortelius et alii, quos citat P. Pineda lib. V *De Rebus Salam.* cap. XIV, sect. v, num. 21; denique filii Chus licet habitarent juxta mare Rubrum, tamen posterii eorum se propagarunt usque in Aethiopiam, utpote viciniam. Unde et rex Aethiopiae olim fines regni sui extendebat usque ad mare Rubrum. A quo enim progeniti sunt Aethiopes, nisi a posteris Cham et Chus?

Secundo, S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Hugo, Emmanuel et Ribera, proprie Aethiopiam hic accipiunt eam quae est sub Aegypto in Africa, puta Abyssiniam; haec enim Judeis erat vicina, nota et nominata. Sic sensus erit, *q. d.* Afri, qui sunt ultra flumina Aethiopiae respectu Judeae et Aegypti, imo et ulteriores populi trans mare sibi, ut Brasili, Peruani, Mexicani, omnesque Indi Occidentales ad Christum convertentur, eique deferent munera.

Tertio, alii, quibus favet a Castro, putant hic notari Indiam Orientalem usque ad Japoniam et Chinam; flumina enim Aethiopiae hic vocari Tigridem et Euphratem, quae primum per Chaldaeam (in qua regnavit Nemrod filius Chus) et Mesopotamiam, deinde per mediam labuntur Arabiam, quae, ut dixi, in Scriptura vocatur Chus, id est Aethiopia, ultra quae flumina est tota Asia et India usque ad Sinas. Accedunt Chaldaei, qui veritatem: *Trans fluvios Indiarum*; Arias et Vatablus, qui haec de Indis exponunt, quasi Aethiopia hic India intelligatur,

enjus flumina sunt Tigris, Indus et Ganges, quae, licet Judeis tempore Sophoniae esset ignotior, christianis tamen, quibus propheta Sophonia, est notissima. Unde et Sabae sunt Indi, aequae ac Persici, Arabici et Abyssini, ut ex Beroaldo et Dionysio doct Pererius in cap. XXV *Genes. 3*. Sensus ergo est, *q. d.* Indi Orientales, Japonae, Sinae, convertentur ad Christum, venientque supplices ad Ecclesiam, deferentes sua munera, uti hoc saeculo factum est, et in dies fieri videmus. Huic sententiae favet quod aliqui filii Chus, ut Hevila, versus Indiam habitaverint, quodque S. Cyrillus, Theodoretus, Procopius et alii, quos citat Pineda loco jam citato, num. 23, Sabaeam gentem vocent Aethiopiam Indicam. Denique Lusitani, qui subegerunt et converterunt Indos Orientales, Japonae et Sinas, ad eos navigant circumveundo Aethiopiam, imo totam Africam. Eorum ergo respectu, Indi possunt dici sibi trans Aethiopiam et Africam. Summa, vult dicere hac phrasim Sophoniae remotissimas gentes, quales sunt Aethiopes, et quae ultra Aethiopiam sive Arabiam, sive Africam et Abyssiniam habitant, puta Garamantae et Indos, convertendas esse ad Christum. Judaei enim censentur Aethiopes esse ultimos hominum, juxta illud Poetae: « Extremique hominum Morini. » Proprie tamen et praecise per Aethiopiam Sophoniae accipit, non illam quae sub Aegypto est, puta Abyssiniam, sed Arabicam, ut dixit a Castro in prima expositione. Alludit enim, ut mox dicam, ad Judeos per Arabiam ductos in Babylonem, et per totum Orientem dispersos, quos reduxit Cyrus, et multo magis Christus, in Jerusalem, id est in Ecclesiam, ut munera, vota et hostias Deo vero offerrent. Per hos tamen a simili, quoslibet populos et gentes trans Aethiopiam, in India extremisque mundi oris sparsos intelligit. Hosce enim omnes ad Deum per Christum et Apostolos convertendos praedicat. Ita Mariana et alii.

INDE SUPPlices MEI, FILII (ita legunt Romana, licet S. Hieronymus in *Comment. legat filia*) DISPERSORUM MEORUM DEFERENT MUNUS MIHI. — Pagninus, Tigurina et Vatablus, de more sequentes R. David, sic vertunt: *Trans flumina Aethiopiae Atharai, filia Putsa, offerent munus mihi*, quasi Atharai sint nomen gentis prognatae ex gente dicta Putsa, quae munus sit allatura Domino. Verum nec Scriptura, nec Josephus, nec quis alius harum gentium meminit. Quocirca Noster, Chaldaeus, Symmachus, Septuaginta, Tigurina et alii haec nomina accipiunt, non ut propria gentis, sed ut appellativa. Atharai enim hebraice significat supplices, putsa dispersos. Unde ex Hebraeo sic ad verbum cum S. Hieronymo vertas: *Trans flumina Aethiopiae supplices mei* (qui sunt) *filia dispersorum* (id est cunctus et congregatio dispersorum; vel potius filia, id est progenies charissima, puta filii charissimi dispersorum, ut vertit Noster, Symmachus et alii) *meorum offerent munus mihi*, quod S. Hieronymus sic exponit, *q. d.* O Israel, o Synagoga quondam mihi

filia, quam nunc toto orbe dispersi, licet invideas, licet emulatione crucieris, tamen de Aethiopia mihi victimam deferentur, id est de Gentilium populo. Verum Vulgata lectio habet *filii*, non *filia*, quae lectio hunc sensum non patitur.

Dico ergo: Alludit Propheta ad Judeos a Chaldaeis in Babylonem abductos, et per Orientem dispersos, quos per Cyrus Deus reduxit in Jerusalem, qui ibidem hostias suas in gratiarum actionem obtulerunt Domino. Unde Chaldaeus vertit: *De trans flumina India cum miserationibus revertetur captivitas populi mei qui captivi, ductus est, et adducet eos illic tanquam oblationes*. Verum per hos, quos obiter tantum perstringit, intelligit quoslibet gentes toto orbe dispersas, etiam remotissimas in Indis degentes. De hisce enim praedicat quod per predicationem Apostolorum, perque Christi vocationem et gratiam venient ad Ecclesiam, in eaque sua vota et munera offerent Domino. Hoc est enim quod ait S. Joannes cap. XI, 31: « Prophetavit (Caiphas) quod Jesus mortificatus erat pro gente, et non tantum pro gente (Judaica) sed et filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. » Ita Hugo, Arias, Clarus et alii. Possent secundo, cum Theodoro dispersi accipi Apostoli: hos enim Christum pro totum orbem dispersi, horum filii sunt viri apostolici et praedicatoris, qui Apostolis in officio et zelo convertendi animas successerunt, *q. d.* Apostoli, et qui eis successerunt viri apostolici, convertent gentes etiam remotas et barbaras, uti Aethiopes, Indos, Japonae, Sinas, etc., easque quasi munus, imo quasi holocaustum, Deo gratissimum offerent, uti fecit S. Paulus, qui *Roman. XV, 16*, ait: « Ut sim minister Christi Jesu in Gentibus, sanctificans (graece *καταρτίζω*), id est sacrificans ) Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta et sanctificata in Spiritu Sancto. » Quocirca Chaldaeus et Septuaginta vertunt in accusativo; Chaldaeus quidem: *Adducet eos illic tanquam oblationes*; Septuaginta vero: *Suscipiam dispersos meos, offerent munus mihi*. Gratulentur ergo sibi Xaverii, Gaspare, et eorum asselle, qui ingenti animo, labore et zelo Indias petunt; sciunt se successores, posteros et filios Apostolorum; cogitent se munus et holocaustum Deo gratissimum, puta animas infidelium ad Dei imaginem creatas, pro quibus Christus carnem assumpsit, et seipsum in cruce Patri immolavit, Deo offerre; sciunt se adimplere quae desunt laborum et passionum Christi in Ecclesia; sciunt se ejus regnum ad ultimos usque orbis fines propagare.

Mystice, Christus Aethiopes trans Aethiopiam deducit in Candiam, cum infidelis et vitis atros traducit ad fidem, castitatem, virtutem; tunc enim « mundat omnem nigredinem animae, » ait S. Hieronymus, et tetrum colorem, ac draconis venenum, quo tincti fueramus vitis atque peccatis, reddito nobis labio electo, sive mundo et candido; et facit derelinquere nos in fluminibus

**Æthiops** perversorum dogmatum magistros, quibus ante irrigabamur, et cum dispersis quondam Israel Christo munera delaturos. » Sic S. Augustinus lib. IX *Confess.* cap. II, ait se exemplo Vetrofiri et aliorum, quos Deus de nigris lucidos fecerat. quasi sagittis divinis confixum exarsisse, ut suam infidelitatis et libidinis nigredinem, in puritatem fidei et castæ vitæ converteret. Dicit ergo cum eo quicumque penitens et justificatus; **Æthiops** fui; Deus in baptismo, vel aquarum, vel lacrymarum, me dealbavit: ipse pro atra candidam innocentie vestem, imo cutem mihi restituit; niger fui, nunc candidus et formosus sum, quia conscientie mee vestem lavi et dealbavi in sanguine Agni, Apoc. vii. 14. Deo gratias, qui me de tenebris vocavit in admirabile lumen suum: deinceps vivam non æthiops, sed cande, illudque avolum sequar: « Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulat: fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate, » *Ephes.* v. 8. Habitavi olim trans flumina atra Æthiopsiæ, puta trans fluenta Nili, qui quia turbidus et limosus, hinc hebraice שִׁיכֹר *sichor*, græcè μάζα, id est *mizer*, vocatur; cum tamen viverem in atra caligine Deique ignorantia; cum in me infunderent æstus motusque ira, superbiæ, gula, libidinis aliarumque atrarum cupiditatum. Verum Christus sua gratia trans hæc flumina me traxit ad candida fluentia Jordanis, ibique me baptismo abluit et dealbavit: collocavit me in Jerusalem, id est in Ecclesia, et in quiete puræ conscientie, ubi fluminis impetus lætificat civitatem Dei; ubi candidi gratiæ, amoris, castitatis aliarumque virtutum fluvii in animam meam cellulis influunt et implent.

Vers. 11. 11. IN DIE ILLA NON CONFUNDERIS. — Loquitur Hierosolyma, id est Judæis non manentibus in judaismo, sed Christum recipientibus in eumque credentibus, ut patet vers. 13, q. d. O Jerusalem, nunc confunderis et pudebis ob idololatram et scelera quibus prævaricata es in me. Sed age tantum, vultum attolle, spera meliora: veniet Messias tibi promissus, qui omnia tua crimina sanguine suo in baptismo eluet, teque gratia sua decorabit, ut jam non sordida, sed speciosa et gratiosa, appareas in conspectu Dei, angelorum et hominum. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Hugo et Lyranus.

Alter Vatablus, q. d. Veniet Christus qui in te effundet gratiam suam, qua fiet ut bonis operibus fundes, et caveas peccata omnia quibus antea in me prævaricari solebas.

Quæ tunc afferam de medio tui magniloquos superbie tue. — Causam dat cur per Christum cessatura sit Hierosolymæ confusio; quia nimium auferet Christus ab ea superbiam, que omnis sceleris et confusio est mater et origo, ideoque auferet « magniloquos superbiæ tue; » Septuaginta, *confusuram tuam*; id est contemptus,

*derisiones, subsannationes, contumelia tuæ; quia magniloquorum superba laus et adulatio reipsa non est aliud quam irrisio et contumelia; Chaldaus, sortes gloriæ tuæ; Tigurina, qui in te insolenter exsultant; Paganus, qui exsultant in superbia tua, id est, qui exsultant et magnificunt ob tuam dignitatem, excellentiam et magnificentiam, inquit Vatablus, eamque ore magniloquo exaltant, buccinant et depreciant. Taxat superbos et superciliosos principes Judæorum, præsertim Scribas et Phariseos, ait S. Hieronymus, Remigius, Hugo et Lyranus, qui Hierosolymæ præstantiam, sapientiam, religionem, sacra et templum plenis buccis concrepabant, sequæ quas æjunt magistros, sacerdotes et principes jactabant, blasphemantes omnes, ac præsertim Christum ipsum, contemnebant. Hi enim fovebant Hierosolymitarum superbiam et fastum, a quo oritur omne malum. Unde hic fastus faciebat eos inopes fidei, gratiæ et salutis Christi. Hos sustulit Christus, eisque substituit humiles Apostolos, qui Hierosolymitas docerent modestiam et humilitatem, quæ omnis boni est causa; quia gratiam Dei et hominum sibi conciliat, ideoque prima est dispositio ad suscipiendam Christi doctrinam, justitiam et salutem. Unde subdit:*

NON ADICES EXALTARI AMPLIUS IN MONTE SANCTO MEO. — Mons sanctus est Sion, in quo erat templum; Judæi enim perpetim jactabant se ob templum, dicebantque: « Templum Domini, templum Domini, templum Domini, » *Jerem.* vii. 4. Christus hæc jactantiam sustulit, quando hoc templum everit per Titum et Romanos, et quando in Sion erexit Ecclesiam suam, ad quam o templo Judaico credentes transiit et transcripsit, in qua quasi in schola humilitatis docet uduos animi demissionem, ut in fide et religione non se præferant Gentibus, uti solent; sed humiliter cum his se subdant gratiæ Christi, quæ Gentibus et Judæis vocat et justificat, exclusa circumcissione et lege Mosæica, per quam se justitiam putabant Judæi; sed falso, uti docet Apostolus in *epist.* ad Romanos et ad Galatas. Ita Remigius, Haymo, Hugo et Lyranus. Moraliter, discit hic superbiam ubique deo displicere, sed maxime in loco sancto, puta Ecclesia, vel religione, scilicet si clerici et religiosi de primo loco contendant.

12. DERELINQUAM IN LEBIO TUI POPULUM PAUPEREM ET EGROVUM, — q. d. Pro magniloquis et superbis Scribis et Phariseis, dabo tibi meos Apostolos et discipulos pauperes, tam proprie dietos, primi enim fideles relicti omnibus bonis, pauperes sequebantur Christum et Apostolos; tum pauperes, id est mansuetos et humiles, ut vertunt Septuaginta et Theodoretus, pauperes enim est amica et mater humilitatis. Chaldaeus vertit, *solentem violentiam et contumeliam*, uti Apostoli et discipuli pro Christi fide dura passi sunt verba; æque ad verbera. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Vatablus, Arias et alii.

Vers. 13. 13. RELIQUA ISRAEL NON FACIENT INQUITATEM, (q. d. Primi fideles et christiani ex Israel a Christo evocati et collecti, iique pauci, præsertim Apostoli, adeo sancti erunt, ut omne peccatum, id est crimen mortiale (quin et veniale delibetatum) dolam et mendacium caveant, imo abominentur); QUONIAM IPSI PASCENTUR ET ACCURABUNT — in ovili Christi, puta in Ecclesia, ubi quasi oves a Christo pastore pascuntur doctrina, et gratia divina et celestis, quæ eos faciet sanctos, æque ac tutos et securos, utpote qui omnem suam spem locant in Christo, a quo sciunt se regi, pasci, protegi et bonis omnibus cumulari, tum in hac vita, tum magis in futura. Ita S. Hieronymus, Remigius et alii.

Vers. 14. 14. LAUDA, FILIA SION. — Filiam Sion vocat Ecclesiam primitivam. Hanc enim Christus e Judæis collegit in Sion, itaque fecit ut vetus Sion transiret in novam, puta Synagoga in Ecclesiam. Eadem enim est Ecclesia vetus et nova, Judæorum et Christianorum. Judæi enim ante Christum crederentur in Christum venturum: Judæi vero vocati a Christo crederentur in Christum jam presentem. Eadem ergo utrorumque est Ecclesia; quia eadem utriusque fides, spes, charitas, justitia, gloria et beatitudo; ac idem Christus utroque gubernans, justificans et beatus. Hæc de causa Ecclesia Christi vero et proprie vocatur filia Sion; quia originem sumpsit a Judæis in Sion, quod si considerarent et caperent modernum Judæi, jam non essent Judæi, sed christiani.

Propheta ergo, prævidens felicitatem Ecclesiæ a Christo institutæ, hortatur ipsam, ut eam considerans toto corde exsulet et jubilet. Unde Chaldaeus vertit: *Hymnos cano, congregatio Sion, et exsulta, Israel: gaude et lætare in toto corde, congregatio Jerusalem; Septuaginta: Gaude, filia Sion, prædica, Jerusalem; exsulta et delectare (Tigurina, gesti) ex toto corde tuo, filia Jerusalem.* Rationem tanti gaudii et jubili subdit: Quia, inquit, Christus a te auferet omne malum et conferet omne bonum. Nam primo:

Vers. 15. 15. ABSTULIT DOMINUS JUDICIUM TUI. — « Judicium » vocat peccata quibus judicium, id est condemnationem et supplicium, merebatur, illique erat adjudicata vel certo adjudicanda. Est innotymia. Ita S. Hieronymus. Secundo, « judicium, » id est ipsam condemnationem et poenam, q. d. Christus a te auferet et eluet in baptismo omnem culpam, et penam præcedentium scelerum. Hinc secundo:

AVERTIT INIMICOS TUOS, — puta demones et vitia: ab horum enim misera servitute liberabit te Christus, viresque eorum infringet, ut non illa tibi, sed tui illis dominentur. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius et alii. Unde Chaldaeus vertit: *Extirpavit inimicos tuos; Septuaginta: Reducit de manu inimicorum tuorum reus Israel; Paganus: Evocavit inimicum tuum; Tigurina: Avertit hostes tuos, hoc est avertit, depulit,*

ejecit; averruncare enim dictum est ab *avertendo*, inquit Varro, et a *runca*, quod est instrumentum vinitorum, quo vitium sarmenta averrunt et amputant. Unde Averruncus erat genitilicus deus, qui mala averruncabat, id est avertibat. Ita Varro lib. VI. Noster Averruncus est Christus, de quo S. Antonius, lesle S. Alhanasio, dicere solet: « Advienit Dominus (Christus in carnem) destructus est inimicus, et omne ejus robur elanguit. » Unde de eo tertio subdit Propheta:

REX ISRAEL DOMINUS IN MEDIO TUI, — q. d. Christus Dominus, qui rex Israelis, id est populi fidelis, est in medio tui, o Sion, o Ecclesia, ut te regat quasi rex, pascat quasi pastor, aliat quasi pater, amet quasi sponsus, defendat et protegat uti capitaneus. Unde sub ejus alis et armis secura, « non timebis malum ultra, » quia ipse illud vel a te depellet, vel vires dabit ad superandum, ut morbos, exilia, martyria, et quælibet adversa non tantum patienter, sed et hilariter sufferas, in iisque cum S. Paulo glorieris et exsultes. Ita S. Hieronymus. Quocirca idipsum inculcans et exaggerans subjungit quarto:

16. NOLI TIRRE: SION, NON DISSOLVATUR MANUS TUE. — ob tribulationes et persecutiones insurgentes, sed eas generose supera et despice, ut Deus super te et tua pietate, amore, constantia et victoria delectetur et gaudeat. Rationem subdit: Quia « Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit. » Quid ergo timeas, quæ tam fortem habes duce? Quid metuas, cum pro te pugnet Jesus, id est salvator, imo ipsa salus? Hinc quintum bonum et dotem addit dicens:

17. SILEBIT IN DILECTIONE SUA. — Sic legendum. Vers. cum Hebræo, Septuaginta et Romanis, non tua, uti legunt aliqui. Jam triplex hic est expositio. Prima, q. d. Deus silebit præterita tua peccata, quæ olim commisit, non ea referabit, non exprobrabit, imo non commemorabit, sed silentio involvet, delebit et abolebit, quia diliget te. Ita S. Hieronymus et Remigius; unde Chaldaeus: *Absondet delicta tua in misericordia sua, q. d. Si anima adulterio, id est scelere, polluta, in gratiam cum Deo sponso suo redeat, ille cum ipsa de præterita injuria, utpote condonata, non exprobrabit; sed potius diet quod dixit Christus Magdalene: « Remittantur ei peccata multa, quia dilexit multum. » Alius in Bibliis Regis: *Cum gaudio subjecit scelus tuum cum misericordia, scilicet subjecit scelus tuum misericordie.* Unde Cassiodorus in *Psalm.* xxxi. q. d. « Ingeniosa, ait, simplicitas, et multa tergiversatione cautor puritas, manifestare delictum! Illis non judex, sed advocatus est Christus, qui se propria confessione damnantur. » S. Hieronymus, q. d. « Silebit, » id est stabilis et firmus erit in sua dilectione tui, semper te diliget, nunquam nulloque casu vel eventu dilectionem suam revocabit aut minuet; sed uti lapis in centro, ita Christus in dilectione tui stabit et conquiescet. Tertia, q. d. Cum in tentatio-*



ginta. Et de visceribus meis dabo auctoribus setas, rixoribus captinas, surdis auricularas, caudicibus et verbosis linguam, intestina exciariis, lumbos pueris, musculos cursoribus, venatoribus talos, latronibus ungulas, etc. Haec refero, tum ut locus S. Hieronymi de hoc testamento intelligatur, tum ut nugarum Prophetae dem veteri exemplum, quo videamus quam nugosa sit hominis indoles, qua has nugae per tot annorum centurias conservavit. Plinius lib. XXX, cap. II : Appion, inquit, Homerum ab inferis evocatum nil aliud interrogavit, quam qua patria quibusque parentibus genitus esset. Sic quidam, etiam primores, gravissimorum virorum concilio convocato, de meris nugis, id est rebus otiosis et frivolis, consulunt. Porro major hominum pars otiosusque circa nugae occupatur, nugax est, nugiger et nugivendus. Martiali, qui a multis ita avide legitur et teritur, quid est nisi pater leporum et nugarum? Audi ipsimet de se initio lib. IX :

Ille ego sum nulli nugarum laude secundus :  
Quon non miraris, sed, puto, lector, amas.

#### Audi Satyricum in Carmine cui titulus *Nugae* :

Accepe, stat pretium nugis, et callidis emptor  
Vix plura ex illa sperat compendia merce.  
Quippe hominum in vita, nugis sine nulla voluptas.  
Tectis erit blando nugae qui garrat amico.  
Pyramides nugae, nuge piracula rerum.  
Luscinae in nugis melior consumitur aetas.  
Vivis et importitur nugis schola magna sophorum.  
Grate oculis nugae, nugis visenda theatra.  
Forma breves nugae, sed quo evertisse ferantur  
Pergama, etc.  
Nobilitas nuge insignes, et gentis origo  
Dacta Prometheus ab avis, et sanguine Pyrrhae,  
Captus erat nugis, qui vexit Argona dolphin.  
Mercurius nugis, nugis se flectat Apollo.  
Sustuleris nugae, et sancta poemata tollas :  
Grandiloquo fiet de theatro Tullius infans.  
Querciones et Tyria nugae in sanguine coeche.  
Anthrosia et nectar nuge, convivia divum.  
Rhiphoe concreta gelo crystallina nuge.  
Nuge amethystus, oxy, beryllus, jaspis, achates,  
Nugaeque ignivono trepidus fulgore propius ;  
Famaque mensuram sponte post funera nomen,  
Votaque sunt nuge ; nuge fortuna superbas  
Quas largitur opes, et nata temperat orbem.

Seneca lib. I, *epist.* 4 : Magna, ait, vite pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. Et Cato : « Satius est otiosum esse, quam nihil agere. » Nihil agit, qui nugis et frivolis se occupat. Domitianus Imperator, teste Suetonio in ejus Vita, molem tanti Romani imperii sustinens, cum negotia maxima tractare deberet, multas saepe horas impendebat captandis muscis : unde rogantibus quis esset cum Domitiano? respondens est : « Nec musca quidem, » quia homines et muscae occidebat, ne quis alius superesset. Quocirca ipse vicissim a Stephano oeconomio suo occisus est. Hellogabalus imperator tota Roma curavit conquiri araneas, arum-

que telas colligi et ponderari ad hoc, ut sciret quantum omnium esset pondus et multitudo. Ita multi hodie negotia vertunt in otia, seria in nugae. Ambis gloriam, ambis honorem, ambis praehauram? muscam captas. Ambis gulam et venerem? pulidam araneam captas. Ambis vestes sericas, aureas, purpuras? telas aranearum captas. An non haec sunt nugae? In hisce tamen multi tempus, quod ad celeritatem promerendam nobis Deus concessit, ultro ferunt, et gaudentes consumunt. Vere Sapiens : « Fascinatio nugacitatis obscurat bona. » *Sapient.* IV, 12, *q. d.* Fascinum vanitatis et nugarum, ea quae sunt vere bona et honesta, obscurat. Species enim voluptatis, quae est in nugis et vanitate peccati, fascinat mentem, ut hanc nugacitatem, neque ac turpitudinem peccati non videat, non consideret, uti nec honesti, sive virtutis pulchritudinem et praestantiam. Sane fascinati videntur homines, et illecebris creaturarum quasi praestigis praestrieta eorum mens, dum velut bruta ruunt in suas veneres et cupiditas, etiamsi sciunt se per eas ruere in tartara et incendia aeterna. *Sapienter Eschines epist.* 5 : « Res perexiguas, inquit, maxime facere, pusillanimitatis cupiditas et inscitia est. » Hoc sibi juveni accidisse confitetur et dolet S. Augustinus lib. VIII *Confess.* cap. XI : « Retinebant, ait, me nuge nugarum, et vanitates vanitatum antiquae amicae meae. » Excitavius cum S. Augustino haec nugae nugarum, mentemque nostram ac vitam in caelestibus verisque bonis, in vero animi robore et magnanimitate, in omnium rerum mundanarum contemptu et despicientia, in arduarum et herotarum virtutum exercitacione deliquimus.

Porro quantopere nuge fidelibus vitandae sint, gravi censura docet S. Bernardus : « Nuge, ait, si incidant, interdum ferendae fortassis, referendae nunquam. Interveniendum caute et prudenter nugacitati. Prorumpendum sane in scrium quid, quod non modo utiliter, sed et libenter audiant, ut supersedeant otiosis. » Ita auctor *Vite S. Bernardi*, lib. III, cap. II. Idem in apologia ad *Basilianum Abbatem* : « Nihil, ait, de Scripturis, nihil de salute agitur animarum, sed nuge, et risus, et verba proferuntur in ventum. Inter praevidendum quantum fauces dapibus, tantum aures parcuntur rumoribus. » Idem, *De Conversione ad Clericos*, cap. XII : « Frivola, ait, prorsus et inanis ac nugatoria consolatio, et pascio quod illi durius imprecer, quam ut semper habeat quod requirat, qui jucundae quietis pacem fugitans, curiosa inquietudine delectatur. Liqueat sane vel ex hoc ipso nihil his omnibus delectationis inesse, quorum solus transitus juvat. Vanus utique labor, qui studio vanitatis assumitur. O doxa, dixit Sapiens (puta Boetius lib. III *De Consol.* prosa 6), in millibus mortalium nihil aliud, quam aurium inflatio vana. » Celebre est istud Asydamantis :

Garrulitas est deambulatio linguae.  
Nugae agit, dum philosophatus intertempere.

#### Et illud Enripididis :

Tu vero linguam quidem volabilem habes, uti vir prudens,  
Sed in sermionibus tuis nulla mens inest.

Nianstratus apte haec nugaeae et garrulos, vocat hirundinas. Graviter et vere Clemens Alexandrinus lib. II *Pedagog.* cap. V : « Cum verba, ait, omnia a cogitatione et moribus emanant, fieri non potest ut aliqua verba mittantur ridicula, quae non procedant a moribus ridiculis. Ex abundantia enim cordis os loquitur. » S. Chrysostomus explicans illud *Ephes.* IV, 29 : « Omnis sermo nigus ex ore vestro non procedat : » Quale, ait, cor unusquisque habet, talia verba loquitur, et talia opera facit. » Verba ergo et opera levia et nugacia, signa sunt animi levis et nugacis. Quocirca S. Basilus in *Exhort. ad filium spirit.* : « Ne, ait, in modum parvuli joculari velis assidue, quia non convenit ei qui ad perfectionem nititur, joculari ut parvulus. » S. Thomas Aquinas haec duo dabat signa, « quibus cognosci possit an quis in virtute multum profecerit : » Si, ait, quem videris verbis levibus nugisque delectari, ac aegre ferre se contentari, scito hunc non esse perfectum, etiamsi miracula faciat. » Quamobrem S. Hieronymus : « Felix, ait, lingua, quae non novit nisi de divinis texere sermonem. » Et S. Basilus tract. *De Remediis. secuti.* : « Si fuitiles, ait, habeantur superes, tu magnopere ne attendito; sed si quae ex divinis litteris ad salutem animi pertinentiam memorare audieris : acerba gustati tibi ea sunt, quaecumque de rebus mundanis memorentur, contraque favis mellis similia, quae a pietatem colentibus viris narrantur. » In *Vitis Patr.* lib. III, num. 36, refertur de quodam viro sancto in monasterio S. Pachonii, qui, cum inter monachos fieret sermo de S. Scriptura et rebus sanctis, videbat angelos letantes in hilari vultu : delectabant enim de eloquiis Domini. Cum vero aliquid quodcumque inter se loquerentur, statim angeli recedebant longius, indignantes contra eos; veniebant autem porci sordidissimi et morbo pleni, et volubant se inter eos. Demones enim in specie porcorum delectabantur per superflua et vaniloquia eorum. Beatus autem senior haec videns abiit in cellulam suam, et per totam noctem cum grandi fletu et ululatu gemendo delectabatur miseris nostris. Dicebat ergo : Cave, fratres, a multiloquio, et ab otiosis sermonibus linguam prohibete, per quam malus interitus animae generatur; et non intelligimus quoniam per haec et Deo, et sanctis angelis odibilis sumus. »

S. Hugo abbas Cluniacensis, qui vixit tempore S. Anselmi, et cum eo visus est ab angelis veli in eorum, monuit saepe Duranum episcopum Tolosanum, ut a nugis et ridiculis verbis quibus assueverat, sibi temperaret; alioqui cum post mortem tumentibus labris et spumoso ore appariturus. « Non corripit Episcopus : unde defunctus cuidam sacerdoti Signino apparuit, et

ut sanctus praedixerat, ulcerosis tumida labris ora praeferebat. Petit auxilium Patris lacrymabiliter, quom audire noluerat. Signinus refert Patri quod viderat; miseretur abbas, et excessum oris septem fratrum silentio sanasse festinat. Septem fratres deligit, quibus septem dierum silentium pro Episcopo indixit. Unus ex his transgreditur, silentium solvit. Redit Episcopus ad Signinum, fractum accusat silentium, de transgressore conquiretur, dilatam oris sanitatem propter septimi inobedientiam causatur. Signino haec iterum ad patrem referente, abbas inquit de transgressione. Transgressio invenitur, et alter septenarius silentio dedicatur. Quo completo tertio presul apparuit gratias agens abbati, pontificali indutus chlamyde, os sanatum ostendit. » Quocirca S. Hugo magis quam ante nugas vitas, seria tractabat : « Orationem Deo, lectorem sibi, consilium proximo sedulus exhibebat. A mendacio et simulatione abhorrebat penitus, torporem et otium damnabat, pauperes opulenta manu pascibat, infirmos pia sollicitudine refovebat, afflictos consolabatur, pupillos et viduas tenebatur. In vitiosos severus, erga penitentes mitissimus erat; disciplinae castigatione iudex, doctrina magister, charitate parens, obsequio minister. Ita vero pluribus erat intentus, ut minor ad singula vix haberetur, » inquit Hugo illi coevalis in ejus Vita.

UT NON ULTRA HABEAS SUPERES EIS PROPRIBUIM. — Nuge enim et nugaces Judaei et peccatores probro sunt non tantum sibi, sed et suis matri, puta Sioni. Rursum apud gentes probro tibi est, Sion, quod tam parvae sis virtutis et zeli, ut hosce filios tuos non poteris aequare ut caeteros ad Christum convertere ; quae probro hoc auferetur, cum eos, Dei gratia aspirante, zelo majore converteres.

19. INTERFICIAM OMNES QUI AFFLUXERUNT TE, — *q. d.* Vers. 19. Persecutores tuos, o Sion, o Ecclesia Christi, periram, nimirum Judeos per Titum et Romanos. Ita Lyranus et Vatablus. Gentiles vero, ut Neronem, Aurelianium, Decium, Maximianum, Diocletianum, etc., periram per Romanos, Persas, Gothos, ac plene per Constantinum Magnum. Ita Theodoretus, Remigius et Haymo ; ac tandem in die iudicii, omnes omnino impios, hostes tuos aeterna morte mulctabo.

ET SALVABO CLAUDICANTES (scilicet populum, non tam judaicum, qui partim ad Mosem, partim ad Christum inclinabat, ut vult Arias, quam christianum in primitiva Ecclesia, qui fugiens persecutiones ibat in remotos montes, silvas et urbes, ac ex labore peregrinationis fatigatus, claudicabat. Unde sequitur) : ET EAM QUE ERECTA FUERAT, CONGREGABO. — Tigurina, et eam que longius abstracta erat colligam. Ejiciebat enim christianos Judaei et suis synagogis ; gentiles ex suis urbibus et locis, *q. d.* Ecclesiam, puta ceterum fidelium a persecutoribus ejectum colligam, usque urbi, loco et patriae restituum, ut ibi sint in honore,



laude et gloria, ubi prius affecti sunt confusione, probris et verberibus. Factum id per Constantinum. Ita Theodoretus, Remigius et Vatablus.

Mystice, colligit Deus peccatores claudicantes, qui nunc Deo, nunc demoni, nunc Christo, nunc carni et mundo adhaerant. Ideoque a Dei gratia et domo eieci erant, cum eos efficaciter ad se vocat, sibique fortiter astringit, uti vocavit et astrinxit S. Magdalenam.

Verz. 20. 20. IN TEMPORE ILLO. — Repete : « Interficiam omnes qui affligerunt te, et salvabo claudicantem, » etc.

CUM CONVERTERO CAPTIVITATEM VESTRAM, — qua in primitiva Ecclesia vos, o christiani, sub ju-

deis magistratibus et gentilibus Imperatoribus, fuisit quasi captivi et oppressi : faciam enim per Constantinum ut vos libertatem assequamini, imo dominemini infidelibus, eorumque templa occupetis, ac publice Christum gloriose et magnifice colatis. Ita Lyranus et Vatablus. Secundo, captivitas haec accipi potest servitus diaboli et peccati, a qua Christus nos ad libertatem filiorum Dei traducit per gratiam in hac vita, et per gloriam in altera, ubi post multos labores et agones, e servitute corporis, aerumnarum et mortis nos liberabit, ac celestibus coronis et honoribus donabit, et beabit in aeternum. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Hugo et alii.

IN

AGGÆUM PROPHETAM.

ARGUMENTUM.

Aggæus, id est festivus, cur ?

Decimus inter Prophetas ponitur Aggæus, vel, ut hebraice scribitur per *chet*, חַגַּי *Chaggai*, sive *Chaggæus*, id est festivus, festum agens, a radice חָגַג *chagag*, id est festum celebravit, festive prophetans ad populum laete et Babylone in Iudæam redeuntem. « Aggæus, ait S. Hieronymus ad Paulinum, festivus et letus, qui seminavit in lacrymis, ut in gaudio meteret, destructum templum ædificat, Deumque Patrem inducit loquentem : Adhuc modicum, et ego commovebo caelum et terram, et mare et aridam, et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus, » puta Messias, sive Christus. Quoad tempus, prophetauit Aggæus paulo post Iudæorum reditum et captivitate Babylonica (1). Cum enim republica Iudæorum vitis esset corrupta, Deus eam excidit, et traduxit in Babylonem, ibique captivos detinuit per 70 annos, ad hoc, ut sola illa generatio vetus et vitata inferiret, et in eorum locum filii ab hisce vitis intacti succederent, ut novus populus ad renovationem Jerusalem perveniret. Eo ergo rediit 1 anno Cyri : mox cepit reedificare templum, jecitque ejus et altarium fundamenta, sed caso paulo post a Tomyri Scytharum regina Cyro, successit ei in regnum Persarum filius Cambyse, sive, ut eum Esdras vocat, Assuerus chaldaice, persice Artaxerxes, qui persuasus a Sanaballat aliisque Samaritanis Iudæorum hostibus, quod Iudæi in speciem templum, sed revera arcem quasi rebellatarii ædificarent, vetuit eos in

fabrica progredi. Narrat hæc fusc Esdras lib. I. cap. iv, ubi et addit vers. 24 : « Tunc intermissum est opus domus Domini in Jerusalem, et non fiebat usque ad annum secundum regni Darii regis Persarum. » Iudæi enim videntes a Cambyse, Sanaballat et aliis tot tantasque fabricæ remoras injici, dicebant necdum ejus tempus advenisse. Quocirca Deus suscitavit Aggæum anno secundo Darii, qui eos ad templi fabricam resumendam incitaret. Hoc est enim quod subdit Esdras cap. v, 1 : « Prophetarum autem Aggæus propheta et Zacharias filius Addo, prophetantes ad Iudæos qui erant in Jucea et Jerusalem, in nomine Dei Israel. Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, et Josue filius Josedee, et ceperunt ædificare templum Dei in Jerusalem, et cum eis prophetae Dei adjuvantes eos. » Qui et subdit cap. vi, Deum flexisse animum Darii, ut templi fabricam non tantum permitteret, sed et edicto suo promoveret, jubens ex tributis regis preberi sumptus in fabricam et sacrificia necessaria. Ubi recte advertit S. Hieronymus in *Prologo* : « Sciendum, ait, est magni spiritus fuisse Aggæum et Zachariam prophetas, ut adversus Artaxerxis regis edictum, et Samaritanos gentesque cunctas per circuitum ædificationem templi impeditas, jubenter templum extrui : Zorobabel quoque, et Jesum filium Josedee, et populum qui cum eis erat, non minoris fidei, ut prophetas magis audirent jubentes, quam probentis regis imperium. » Additque secutus Chironicon Eusebii hæc contigisse, « quo tempore apud Romanos septimus a Romulo regnavit Tarquinus Superbus, habens annum imperii vigesimum septimum, qui post octo annos expulsus est a Bruto : ac deinde republicam per quadringentos et sexaginta quatuor annos usque ad Julium Cæsarem consules administraverunt. » Quare ab hoc anno secundo Darii, usque ad annum 42 Augusti Cæsaris, quo natus dicitur Christus, fluxerunt anni 518 ; tot ergo annis Aggæi propheta de Christo eum antecessit.

Porro illa quatuor continet partes, sive visio-

(1) Primum locum inter eos qui reduci e Babylonia et exsolute captivitate genti oracula divina in Iudæa edisseruerunt, tenet Aggæus. Sua ergo sede locoque apposito inter Prophetas comparat, Sophoniam excipiens, qui signum claudii eorum vatam qui ante exsilium, et stante adhuc templo prioris, vaticinia sua ediderunt, et observat Rosenmüller. De patria, natalibus et familia Aggæi nihil constat. Sunt qui natum credant in Babylonia exsilio; migrasse vero Hierosolymam, a Cyro exsiliibus Iudæis in patriam redeundi potestate facta : cum pluribus aliis tribubus potissimum Judæ, Benjaminis et Levi, nonnullis etiam et tribubus aliis, Zorobabele duce, tum ex Esdræ libro (cap. v, 1; vi, 4), tum ex ipsius vaticiniis colligimus.

Argu- mentum.

Aggæi ingens animus.

Tempus.